

acie occumbente. Regem quoque nostrum et universum exercitum christianum manibus paganorum tradidit, omnibus qui bello interfuerunt partim gladio cesis partim in captivitatem ductis, paucis admodum fuge subsidio liberatis. Nec ista inimicis crucis Christi ad crudelitatis sue sacietatem suffecerunt. Quin etiam nomen christianum de sub celo delere molientes Terre Sancte civitates et castella – videlicet Gybeletum, Berytum, Sydonem, Acharon⁷, Tyberiadem, Nazareth, Sebasten, Neapolim, Caypham, Cesaream, Assur, Ioppen, Aschalon, Lyddam, Ibelinen⁸, Turonem⁹, Mirabel¹⁰, Betlehem et Ebron – caperent et sue dicioni subiugarent, omnibus ferme earum incolis in ore gladii consumptis. Heu heu, pater reverende, sic Terra Sancta, hereditas crucifixi, tradita est in manus paganorum. Heu sic proiecit Dominus hereditatem suam, *nec pepercit*¹¹, continens *in ira sua misericordias suas*¹². Animadvertat hoc pietas vestra et videat, *si est dolor similis sicut dolor noster*¹³, doleatque amore crucifixi Domini et nostri pro tanta doloris nostri magnitudine. Nam civitas sancta Ierusalem, que quondam per finitimas terras longe lateque dominari consueverat, in tantum ab inimicis crucis Christi est circumvallata, ut nulli de habitatoribus suis extra muros liber exitus pateat, ipsa et Tyro utcumque superstitibus. Sed nisi *Oriens ex alto* secundum multitudinem miserationum suarum *nos visitaverit*¹⁴, vestraque paternitas nobis in ultimo et metuendo nostre necessitatis articulo constitutis compatiens missis litteris et propriis nunciis omnes occidentalis terre principes ad succurrendum Sancte Terre velocius animaverit, a nobis eas per dimidium annum posse defendi omnino diffidimus, cum pro certo sanctitas vestra noverit, quod, si Tracib¹ bello iam recenter expleto sanctam civitatem adissent, eam omni humana defensione destitutam prorsus reperissent. Igitur quoniam nullum nobis post Deum aliud restat refugium, ad pedes sanctitatis vestre afflictiones nostras et miseras intolerabiles lacrimabiliter exponendo recurrimus, tanquam filii ad patrem, naufragi ad portum, ut paternae affectione viscera vestra super nos et super civitatem sanctam Ierusalem commoveantur. Quo vestro suffragante patrocinio Dominus propicie-

b) *so Hs.*

7) Akkon.

8) Ibelin: P r a w e r - B e n v e n i s t i, Koordinaten 126/141.

9) Toron des Chevaliers: P r a w e r - B e n v e n i s t i, Koordinaten 148/137.

10) P r a w e r - B e n v e n i s t i, Koordinaten 146/165.

11) Threni 2, 2.

12) Vgl. Ps. 76, 10: *Aut obliviscetur misereri Deus? aut continebit in ira sua misericordias suas?* Zitiert auch im Bericht der Genuesen an Urban III.: Gesta 2, S. 12.

13) Vgl. Threni 1, 12.

14) Vgl. Luc. 1, 78.